

## XII

nitius noscenda euagatur, optime fruitur otio, non otiantur.  
Et apposite idem ille *sententiarum Magister*, vt eum vocat  
*Petitus*, *otium sine litteris mortem esse*, et *hominis viui sepulturam*,<sup>\*)</sup> non dixit modo, sed etiam oculis quasi iufsit cernere.

Est igitur otium, quod probat et iubet philosophia,  
sine quo ne possit quidem fatis explicare vim suam intra  
mentes conclusam. Et tamen ipsa quoque admonet suos,  
ne nimium sibi ad populum placeant illa laborum vulga-  
rium fuga, velintque videri contemnere et abiicere, a  
quibus propter animi tranquillitatem subinde abstinent.  
Rursus haec optime amici sui vocibus praecepit: „Ab-  
„sconde te in otio; sed et otium tuum absconde.  
„Non est quod inscribas tibi philosophiam. Atque  
„etiam aliud proposito tuo nomen impone: valetudi-  
„nem et imbecillitatem vocato, et desidiam. Gloria-  
„ri otio, iners ambitio est. Animalia quaedam, ne in-  
„veniri possint, vestigia sua circa cubile ipsum confun-  
„dunt: idem tibi faciendum est, alioqui non deerunt  
„qui persequantur. Multi aperta transeunt, condita et  
„obstrusa rimantur. Furem signata sollicitant. Vile vide-  
„tur, quidquid patet: aperta effractarius praeterit. Hos  
„mores habet populus, hos imperitissimus quisque: in fe-  
„creta irrumpere cupit. Optimum itaque est, non ia-  
„ctare otium suum: iactandi autem genus est nimis late-  
„re, et a conspectu hominum secedere. Ille Tarentum  
„se abdidit; ille Neapoli inclusus est; ille multis annis  
„non transit domus suae limen. Conuocat turbam, quis-  
„quis otio suo fabulam aliquam imposuit. Cum secesse-  
„ris, non est agendum hoc, vt de te homines loquan-  
„tur, sed vt ipse tecum loquaris.“<sup>\*)</sup> Nihil

<sup>\*)</sup> Idem Epist. LXXXII.

<sup>\*)</sup> Seneca Epist. LXVIII.